

tur inter se æquales anguli consistentes in portio-
ne minore semicirculo.

VNDECIMA PROPOSITIO.

Si circulum linea recta contingat, & à
contactu in Circulum, quædam eum dispa-
scens recta linea, præter cætrum ducatur,
anguli quos cum contingente facit, æ-
quales sunt eis qui in alternis circuli porti-
onibus consistunt angulis.



Sit linea adb contingens circulum $d e f h$, cuius
ius centrum g & a puncto contactus d trahatur
præter centrum linea $d f$, quæ secet circulum in
duas portiones, sinistram $d e f$, dextram $d h f$, fa-
ciatq; angulos duos cum contingente $b d f$ fini-
strum, et $a d f$ dextrum. Dico angulum sinistræ
quem facit linea $d f$ cum contingente, scilicet $b d f$,
æqualem esse angulo quem suscipit dextra cir-
culi portio $d h f$. Et angulum dextrum quem fa-
cit linea $d f$ cum contingente scilicet $a d f$ æqua-
lem esse angulo quem sinistra suscipit portio $d e f$.
Trahatur à puncto contactus per centrum li-
nea $d g h$ & connectatur $f h$, Constituatur etiam
in portione $d e f$ angulus ut lubitum fuerit. Quic-
quid de his duobus angulis mōstratum fuerit, de
omnibus ab his duabus portionibus, susceptis in-
dubitanter procedet. Sunt enim omnes, qui ab eæ-
dem portione suscipiuntur anguli, æquales per
nōnam huius. Et quia angulus $d f h$ in semicirculo